Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 1049
Quelle:
Copyright:

tata. Post haec: *Incipit Prefatio. Dilectissimo filio uuidoni comiti humilis leuita alquinus salutem. Memor petitionis tuae. et promissionis meae* &c. Finis: *boni operis perpetua coronabitur gloria.* Neque enim adest illa lacinia a *Quercetano* in Edit. *Opp. Paris.* 1617. f. ex T. VI. *Lect. Antiq. Canisii* adtexta. In nova Editione *Ratisb.* legitur Liber noster T. II. 1777. *Vol. I.* p. 128. cum variis *Codd. mss.* collatus.

XXVI. *fol.* 141. *Sermo leonis pape.* Initium: *Hodierna festiuitas preter illam reuerentiam quam toto terrarum orbe promeruit. speciali et propria romanę urbis exultatione ueneranda est* &c. Fragmentum Sermonis *in Natali Apostolorum Petri et Pauli*, qui in Edit. *Quesnel. Lugd.* 1700. est p. 163. LXXX.

XXVII. *fol. eod.* p. 2. ad marginem: *Sermo maximi episcopi.* Centunculus ex pluribus Ejus Sermonibus *in Natali Apostolor. Petri et Pauli*, qui leguntur *Bibl. PP. Lugd.* T. VI. a p. 34. Initium: *In omnium sanctorum commemoratione letandum est* &c.

XXVIII. *fol.* 142. *Opusculum de milicia spirituali et seculari.* Ita manus recentior una, et altera supra in margine: *Ferrandi Ad Reginum Comitem de VII. regulis Innocentię liber.* Est hic *Fulgentius Ferrandus Fulgentii Rusp.* discipulus et Sec. VI. Diaconus Eccl. *Carthaginiensis*, cujus Opera e *Petri Franc. Chifletii* edit. *Divionensi* 1649. 4. recusa sunt in *Bibl. PP. Lugd. T. IX. a p. 475.* Et Παραινετικον quidem nostrum p. 494. Incipit illud: *Socialis uitę laboribus exercendus. ignorantia pueritiae mox* (ut) *rationalis homo caruerit* &c. Et finit: *ubi dabitur ducibus christianis perpetuus principatus.* Satis emendate descripta est praeclara haec Christiani Militis institutio, quae in linguas modernas transferri mereretur.

XXIX. *fol.* 162. p. 2. *Incipit Liber qui vocatur Via Regia.* Librum hunc post *Luc. Holstenium Luc. Dacherius Spicil.* edit. 1723. T. I. p. 238. et *Job. Mabillonus Analect. vet.* p. 357. *Smaragdo* Abb. S. *Michaelis* in Dioec. *Virdun.* Scriptori Sec. IX. tribuunt, quem is ad *Carolum M.* aut *Ludovicum* potius *Pium* scripserit. Legitur in *Spicil. cit.* p. 238. sed absque *Praefatione*, quam in *Cod. Reginae Suec.* deperiisse, recte conjectavit *Holstenius*; extat enim in *Nostro*, unde describam, nec me labor iste gravabit. *Non nos ad hunc conficiendum libellum spiritus commouit presumptionis. sed dilectionis et caritatis. alioquin incongruum uideretur omnibus. et ineptum. ut serui domino. humillimi excelso. pauperes potenti. famuli clarissimo regi conuiuium prepararent. et quem ab infancia multiplex cornigerum pennigerumque cibus nutriuit. et multigenę regięque diuitię regio educarunt in gremio. ad nostrum modicum et olericum regem inuitaremus pabulum. quasi nostra insulsa nec ad purum decocta potestati regiae sufficeret olla. Sed non ut prefati sumus. nos*